UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arnoldi Corvini â Belderen, Batavi, Jcti quondam Consummatissimi, Consiliarii Electoralis & Professoris Moguntini Publici, &c. Tractatus Geminus De Personis Atque Beneficiis Ecclesiasticis Sive ...

opus posthumum, diu desideratum, nunc demum excusum, & indice locupletissimo instructum

De beneficiis ecclesiasticis

Corvinus van Beldern, Arnold

Francofurti ad Moenum, 1708

VD18 10184902

Beneficiorum collationem debere esse integram. Tit. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62028

Visual Library

TITULUS X.

Beneficiorum collationem debere eſſe integram.

SUMMARIA.

1. *Beneficia conferri debent integra.*
2. *Nec unum dari debet duobus, nec ex una fieri præbendæ duæ.*
3. *Cur non.*
4. *Limitatio.*

1 PRæter Ambitum in Beneficiorum Collationibus cavendum, ne Collator conferat uni Beneficium, & alteri attribuat Penſionem ex reditibus Beneficii. *c. extirpandæ.30. de præbend.* Beneficia enim cum vacant *integra* & ſine ulla diminutione ſunt conferenda. *Rubr.tit. Ut Eccleſ.benef.ſine diminut.conferantur.can.ult.in fin.* 1.*qu.*3.*c.majoribus.*8.*c.vacante.*26.*c.cum cauſam.*36.*de præbend.* Et in Concilio Lateranenſi, ſub Alexandro III. Pontifice habito, prohibitum eſt *cap.*7. Ne Antiſtes conferendo Eccleſiaſticum beneficium præſumat proventuum partem ſuis uſibus retinere. *c.un.verſ.& circa inhoneſtatem. Ut Eccleſ.benef.ſine diminut.confer.* Si faciat, in Legem Ambitus committit. *Duar.de benef.lib.*6.*cap.*4.

2 Caveat quoque, ne duobus det beneficium, vel ex una præbenda faciat duas: Utrumque enim Concilio Turonenſi *cap.* 8. interdictum *cap.tuæ fraternitatis.*20.*cum ſeqq.c.cum cauſam.*36.*de præbend.*

3 Primum ea ratione, quâ beneficiorum pluralitas inhibetur, de qua re *dicetur ſuo loco;* Quod ut nemo binas conjuges habere poteſt, ita nec una debet eſſe conjux plurium: Alterum vero quia æquum non eſt, ut quæ ſingulis attributa ſunt, erogentur in plures. Nec refert quod ex præbenda aut beneficio ſuperſit aliquid Clerico ultra neceſſaria, quia, quod ſupereſt, erogandum in pauperes; *can.pen.& ult.*12.*qu.*2.

Eo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

Eo tamen caſu quo facultates Eccleſiæ fuerint auctæ; augeri poterit præbendarum numerus. *c. cum M. Ferrarienſis. 9. de conſtitut. c. fin. de verb. ſignific.* Quando Concilii Turonenſis prohibitio recipit limitationem hanc; Niſi ſubſit juſta cauſſa præbendas dividendi, & plures ex una conſtituendi. *d. c. vacante. 26. de præbend. c. ad audientiam. 3. de Eccleſ. ædific. vel repar. Dartis de benefic. ſect. 5. cap. 2.* 4

TITULUS XI.

De Penſionibus, quæ in Beneficii Collationibus retinentur.

SUMMARIA.

1. *Continuatio.*
2. *Penſiones an ſint Beneficia.*
3. *Diſtinguitur: Aut datæ in Titulum, aut Simpliciter. Illæ Beneficii appellatione veniunt: Non hæ.*
4. *Illæ non poſſunt conſtitui Laicis: nec emi, nec pretio transferri.*
5. *An gratis poſſunt remitti; & quæ.*
6. *Penſionem quæ non eſt Beneficium, appellat Duarenus Annuum: An rectè.*
7. *Ejus definitio varia.*
8. *Probatio Duareni.*
9. *Ex quibus fiat delibatio.*
10. *Penſiones vel dantur Laicis, vel Clericis.*
11. *Hæ vel ob miniſterium ſacrum vel ſimpliciter.*
12. *Laicis aliquando dantur ob munus profanum.*
13. *Quibus ob miniſterium ſacrum dantur.*